



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

Die Paschatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

DIE PASCHATIS.

Sancte JESU, *per sanctam Resurrectionem tuam* te rogo, fac me sanctum : resuscita me cum Sanctis illis, de quibus dicitur ; *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus, (id est, tuam) venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Duc me in sanctam civitatem tuam, in qua tu es: fac me ita vivere, sicut Sancti illi, a te resuscitati, vixerunt tecum. O vere Agne, qui abstulisti peccata mundi ! aufer et mea ; qui mortem nostram moriendo destruxisti, destrue et meam ; qui vitam resurgendo reparasti, repara et meam. Hac tenus custodiebaris mortuus in sepulchro ; nunc vivus custodi meam animam in vitam æternam: custodi me; ut sciam te vigil in corde meo custodire, ne te amittam. Doce me ita inter homines versari, sicut tu versatus es ; de divinis loqui, sicut tu locutus es : regna in me; ne peccatum regnet in me: da, ut vivam tibi, mihi mortuus ; ne, si mihi vivam, moriar tibi. *Alleluja,* cor meum : *alleluja,* cogitationes

meæ,

mea, verba mea, opera mea, *laudate Dominum* : dicite, & facite ea, quæ sint in laudem Dei. Sancte JESU, fac sanctos omnes sensus meos : da illis *felix Pascha*, *felix phase*, *felicem transitum* à moribus tepidis, dissolutis ad sanctos, ab amore temporalium ad studium æternorum, ab hac vita ad vitam æternam, & Urbem illam, *per* cujus *vicos alleluja cantabitur* ; ut ibi, cum Apocalypticis tuis cantoribus, cum voce turbarum multarum, seniorum, throni, aquarum, tonitruorum magnorum, cantem tibi : *Alleluja! Salus, & gloria, & virtus Deo nostro: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Tibi!*

D I E A S C E N S I O N I S .

Adoro te, victorioso triumphator JESU, ascendentem in jubilatione, in voce tubæ. O qui ascendens in altum, captivam duxisti captivitatem! gratulor tuæ magnificentiæ, super cælos elevatae! Fac me magnificum in sanctitate: ne derelinquas me orphanum : da mihi dulcissimam Virginem Matrem tuam, qui dona dedisti hominibus. Omnis pulchritudo tua elevata